

com-pellere -pulisce -pulsum
= cōgere

faucēs -ium *f pl* = ōs dēvorāns;
cupiditās vorandī (-e *abl sg*)
latrō : lupus
incitāre = excitāre animum
In-ferre in-tulisse il-lātum
turbulentus -a -um = turbidus;
(aquam) turbulentam (: sordi-
dam) facere = turbāre

lāni-ger -erī *m* = quī lānam gerit
(: agnus)
quī *adv* = quōmodo
haustus -ūs *m* < haurire; meōs
h.ūs : locum ubi hauriō (: bibō)
liquor -ōris *m* = māteria *liquida*,
ut agua, lac, vīnum, oleum...
re-pellere reppulisse re-pulsum

cor-ripere -iō -ripuisse -reptum
= reprehendere, accūsāre
ita correptum *agnum* lacerat
haec fābula

avidus -a -um = cupidus ha-
bendī/cdendī
dē-cipere -iō -cēpisse -ceptum
= fallere
meritō *adv* = ut meritum est
propriū -ī *n* ↔ aliēnum
ap-petere (< ad-) = cupidē
petere

lympha -ae *f* = aqua
simulācrum -ī *n* = imāgō
praeda -ae *f* = quod captum est

aviditās -ātis *f* < avidus; dēcepta
a. : canis avidus dēceptus
dī-misit : āmisit (cibum quem
ōre tenēbat)
ad-eō *adv* = etiam; nec adeō =
ac nē quidem

DE LVPO ET AGNO

Phaedrus: Fābulae Aesōpiae, I.1

Ad rīvum eundem lupus et agnus vēnerant
sitī compulsī. Superior stābat lupus,
longēque inferior agnus.

Tunc fauce improbā

latrō incitātus iūrgiī causam intulit:

“Cūr” inquit “turbulentam fēcistī mihi
aquam bibentī?”

5

Lāniger contrā timēns:

“Quī possum, quaesō, facere quod quereris, lupe?

Ā tē dēcurrit ad meōs haustus liquor!”

Repulsus ille vēritātis vīribus:

“Ante hōs sex mēnsēs” ait “maledixistī mihi!”

10

Respondit agnus: “Equidem nātus nōn eram!”

“Pater hercle tuus” ille inquit “maledixit mihi!”

– atque ita correptum lacerat iniūstā nece!

Haec propter illōs scrīpta est hominēs fābula
quī fictis causis innocentēs opprimunt.

15

DE CANE AVIDO DECEPTO

Phaedrus, I.4

Āmittit meritō propriū quī aliēnum appetit.


Canis per flūmen carnem cum ferret natāns,
lymphārum in speculō vīdit simulācrum suum;
aliamque praedam ab aliō cane ferrī putāns

ēripere voluit. Vērum dēcepta aviditās

5

et quem tenēbat ore dīmīsit cibum

nec quem petēbat adeō potuit tangere!



vacca -ae f



capra -ae f



cervus -i m

DE SOCIIS LEONIS

Phaedrus, I.5

Numquam est fidēlis cum potentī societās.

Testātur haec fābella prōpositum meum:

Vacca et capella et patiēns ovis iniūriae
socii fuere cum leōne in saltibus.

5 Hī cum cēpissent cervum vāstī corporis,

sic est locūtus, partibus factis, leō:

“Ego primam tollō, nō minor quia ‘rēx Leō’;

secundam, quia sum fortis, tribuētis mihi;

tum, quia plūs valeō, mē sequētur tertia

10 – malō afficiētur sī quis quārtam tetigerit!”

Sic tōtam praedam sōla improbitās abstulit!

capella -ae f = parva capra

socius -i m = qui commūni ne-

gōtiō coniungitur cum aliquō

fidēlis -e = fidus : tūtus

potēns -entis adi = qui potes-

tātem habet

societās -tātis f < socius

testārī (< testis) = dēmōstrāre

prōpositum -i n (< prō-pōnere)

= dictum quod prōpōnitur

patiēns iniūriae (gen) = qui in-

iūriam patitur | -ēre = -ērunt

saltus -ūs m = silva (in monte)

vāstus -a -um = ingēns

primam partem

tribuere -uisse -ūtum = dare

(quod dēbētur), trādere

valēre = validus esse

mē sequētur : mihi dabitur

sī quis : quisquis

improbitās -ātis f < improbus;

sōla i. : sōlus leō improbus



persōna tragica



persona cōmica

DE VVLPE ET PERSONA INANI

Phaedrus, I.7

Persōnam tragicam forte vulpēs vīderat:

“Ō quanta speciēs!” inquit, “– cerebrum nōn habet!”

Hoc illis dictum est quibus honōrem et glōriam

fortūna tribuit – sēnsū commūnem abstulit.



vulpēs -is f

inānis -e = vacuus

tragicus -a -um (↔ cōmicus) =

qui convenit ad *tragoediam*

tragoedia -ae f (↔ cōmoedia)

= fābula scaenica sēria

speciēs -ēi f = quod aspicitur,

fōrma pulchra, pulchritūdō

honōs -ōris m = laus, glōria

sēnsus -ūs m < sentīre; s. com-

mūnis = mēns rēctē sentiēns

dē rē commūni, mēns sāna

quī-cumque = quisquis
fraus -dis *f* ↔ vēritās
in-nōtēscere -tuisse = nōtus fieri
āmittit fidem : nēmō eī fidit

at-testārī = testārī

arguere -uisse -ūtum = accūsāre
crīmen -inis *n* = quod accūsātur
culpa -ae *f* = causa accūsandī;
culpae proximus ↔ innocēns

per-ōrāre = ōrātiōnis finem
facere; -āisset = -āvisset
fertur = nārrātur

"tū, *lupē*, nōn vidēris perdidisse
(= āmississe)..."
"tē, *vulpēs*, ..."
pulchrē = plānē

ūtilis -e (< ūtī) = bonus ad
ūtendum
"ea quae contēmpsisit saepe in-
veniuntur ūtiliōra esse quam
ea quae laudāvisti"
laudātis = *quam* laudāta (: ea
quae laudāta sint)
testis est = testātur
fōns fontis *m* = aqua ē terrā ē-
rumpēns (unde incipit rīvus)
effigiēs -ēī *f* = imāgō

rāmōsus -a -um < rāmus

tenuitās -ātis *f* < tenuis
vēnārī = ferās persequī atque
occidēre; vēnantum = -ium
con-terrere = terrere
cursus -ūs *m* < currere
ē-lūdere -sisse -sum = dēcipere
ex-cipere -iō -cēpisse -ceptum
= accipere | ferum : cervum
impedire = cursū/fugā prohibere
re-tinere -uisse -tentum
morsus -ūs *m* < mordere

quam ūtilia mihi fuerint *ea* quae
dēspexeram (: crūra), et quae
laudāveram (: cornua) ...!
lūctus -ūs *m* < lūgēre
habuerint : mihi attulerint

LVPVS ET VVLPES IVDICE SIMIO

Phaedrus, I.10

Quicumque turpī fraude semel innōtuit,
etiam sī vērum dicit, āmittit fidem.

Hoc attestātur brevis Aesōpī fābula:

Lupus arguēbat vulpem fūrtī crīmine.
Negābat illa 'sē esse culpae proximam'.
Tunc iūdex inter illōs sēdit sīmius.

Uterque causam cum perōrāset suam,
dixisse fertur sīmius sententiam:

"Tū nōn vidēris perdidisse quod petis! –
Tē crēdō surripuisse quod pulchrē negās!"

CERVI CRVRA CORNIBVS VTILIORA

Phaedrus, I.12

'Laudātis ūtiliōra quae contēmpseris
saepe inveniri' testis haec nārrātiō est.

Ad fontem cervus, cum bibisset, restitit
et in liquōre vidit effigiem suam.

Ibi dum rāmōsa mirāns laudat cornua
crūrumque nimiam tenuitātem vituperat,
vēnantum subitō vōcibus conterritus
per campum fugere coepit, et cursū levī
canēs ēlūsit. Silva tum excēpit ferum,
in quā retentis impeditus cornibus
lacerārī coepit morsibus saevīs canum!

Tum moriēns vōcem hanc ēdidisse dicitur:
"Ō mē infēlicem! quī nunc dēmum intellegō
ūtilia mihi quam fuerint quae dēspexeram,
et quae laudāram quantum lūctūs habuerint!"



DE CORVO STVPIDO

Phaedrus, I.13



corvus -ī m

stupidus -a -um = stultus

- 3 Cum dē fenestrā corvus raptum cāseum
comēsse vellet, celsā residēns arbore,
5 vulpēs hunc vīdit, dēinde sīc coepit loquī:
“Ō, quī tuārum, corve, pennārum est nitor!
Quantum decōrem corpore et vultū geris!
Sī vōcem habērēs, nūlla prior āles foret!”
At ille stultus, dum vult vōcem ostendere,
10 ēmisit ōre cāseum, quem celeriter
dolōsa vulpēs avidīs rapuit dentibus!
Tum dēmum ingemuit corvī dēceptus stupor.

cāseum raptum dē fenestrā
com-esse = esse
re-sidēre = sedēre; residēns *in*
celsā arbore

nitor -ōris m = splendor; quī n.l
: quantus n.l
decor -ōris m (< decēre) = pul-
chritūdō; *in* corpore et vultū
prior : superior, melior
āles -itis f (< āla) = avis
foret = esset

ē-mittere; ēmisit *ex* ōre
dolōsus -a -um = fallāx; < *dolus*
-i m = cōnsiliū fallendī
in-gemēscere -uisse = *gemere* =
ob dolōrem querī vōce inconditā
stupor -ōris m = quālitās stupidi;
corvī dēceptus stupor : corvus
stupidus dēceptus

DE RANA QVAE SE INFLAVIT

Phaedrus, I.24

Inops, potentem dum vult imitārī, perit.

In prātō quondam rāna cōspexit bovem,
et tācta invidiā tantae magnitudinis
rūgōsam inflāvit pellem.

Tum nātōs suōs

- 5 interrogāvit ‘an bove esset lātior?’
Illī negārunt.

Illī negārunt.

Rūrsus intendit cutem
māiōre nīsū, et similī quaesivit modō
‘quis māior esset?’

Illī dixērunt ‘bovem’.

Novissimē indignāta, dum vult validius

- 10 inflāre sēsē, ruptō iacuit corpore!



rāna -ae f



pellis -is f



frōns rūgōsa
(contracta)

in-flāre = āere implēre

in-ops -opis ↔ potēns -entis
prātum -ī n = campus cum herbā
quondam *adv* = aliquandō
tācta : affecta, permōta
invidia -ae f < invidēre
magnitūdō -inis f < magnus
rūgōsus -a -um < rūga -ae f

nātus -ī m = filius

lātior : māior

-ārunt = -āvērunt
in-tendere -disse -tum = māiō-
rem facere extendendō
cutis -is f = pellis nūda
nīsus -ūs m = labor, vīrēs (< *nītī*
nīsūm = valdē labōrāre)
quis : uter

‘bovem māiōrem esse’

novissimē = postrēmō
indignārī = indignum putāre